Mei Gasp. sardi sol. j.

2

D. Caroli. v. Im-

PERATORIS EXPEDITIO IN Africam ad Argieram: Per NI-COLAVM Villagagnonem Equitem Rhodium Gallum.

Ad D. G. Bellaium Langæum Subalpinarum gentium Proregem, & primi ordinis Equitem apud Chriſtianiſſimum Francorum regem.

ANTVERPIAE,
Ex officina Ioannis Steelſii, Anno à Chriſto nato, 1542.
Menſe April.

Ex libris D. Isidori à S. Caietano.

ped
gio
fuiſ
um
tun
utic
ijcie
pot
le h
ma
tuli
nis,
dere
con
cas
dina
pug
bus
cas
pra
bus
bus

D. Caroli. v. Im

PERATORIS EXPEDITIO IN

Africam ad Argieram.

CVVM æſtas anteacta me in Galliã
ad domeſtica quædam negocia re-
uocaſſet, de reditu Cæſaris in Ita-
liam, & tranſmiſſu exercitus eius
in Africam, literis amicorum certi
or factus ſum: qui conſilio Cęſaris
propoſito, me ad tam nobilem ex-
peditionẽ accerſebant. Ego verò et intelligebam reli-
gione me obſtringi ad inimicos fidei (quantum in me
fuiſſet) bello perſequendos: & verebar, ne corpus me
um diuturna iam armorum exercitatione labori aſſue
tum, otio ad laborem remolleſceret, ſi apud amicos di
utius commorarer. Itaque negotia in aliud tempus re
ijcienda mihi eſſe duxi, ne honori meo neceſſario tem-
pore deeſſe exiſtimarer. Conſilium autem Cæſaris eſ-
ſe hoc ſignificabant, ꝙ quum ſe ad componendas Ger
manorum de fide controuerſias, in Germaniam con-
tuliſſet, reperit Ferdinandum fratrem, & filium Ioan-
nis, qui proximè regnum in Pannonia obtinuerat, ar-
dere inter ſe diſcordijs, ac de iure regni vehemẽtiſſimè
contendere. Is, quòd ſibi à Ferdinando metueret, Tur-
cas in ſuũ aſciuerat auxilium. Quorũ aduentũ vt Fer-
dinandus anteuerteret, Budã obſidione cinxerat ac ex-
pugnare totis viribus adnitebatur. Quibus cognitis re
bus Cæſar proſpiciens, q̃ magni eſſet momenti, Tur-
cas finibus noſtris prohibere: vt eis veniẽdi occaſionẽ
præriperet, partem copiarum fratri miſit auxilio, qui-
bus expugnationẽ accelleraret. Qui tamen munitioni-
bus & pręſidio vrbis impeditus, Turcarũ aduentum

expectare coactus eſt. Quamobrem Cæſar, omiſſis fidei diſceptationibus animum potius ad bellum adijciendum putauit. Et quoniam magni rem eſſe periculi perſpexerat, bellum in ea regione duci: priuſquam illic hoſtes inueteraſcerent, hoc in Turchicum ſolum transferre conſtituit, & procul finibus noſtris propellere. ¶ Quapropter copijs, quas ad fratrem miſerat, ei ſubſidio relictis, quũ iam inſtante hyeme non ita multum temporis ſupereſſet, quo bellum commodè geri poſſet, Ferdinãdo belli curam in ſe interim recipiente, magnis itineribus in Italiam ad exercitum contendit. Quò ſimul ac perueniſſet, exercitum ſumma diligentia cogi, & militum nouas manus conſcribi iuſſit, magnũq; nauium numerũ Ianuæ atq; Neapoli inſtrui, quibus in Africã exercitum traduceret. Africa verò ei neceſſariò tentanda videbatur, ne in Turchiam proficiſcens, inimicum à tergo relinqueret, de quo metuere ſibi poſſent Hiſpani, quorum opera & numis ad bellũ Turchicum vti decreuerat. Coacto exercitu, & nauibus ad nauigandum paratis, dum res frumentaria expeditur, & in naues exercitus imponitur, Lucæ ſummum pontificem conuenit: vt cũ eo conſilia belli cõmunicaret. Pontifex, quod Africa minimè portuoſa ſit, hyemis nauigationẽ non eſſe ſubeũdam exiſtimabat, atq; Cæſarem à via deterrebat. Quæ quanuis magna cauſſa eſſet, ne ipſe alieno anni tempore, in tã periculoſa loca exercitũ tranſmitteret, maioribus tamen rationibus impellebatur, vt in ſententia permaneret. Videbat enim quantopere ab hoſtibus noſtri in Pannonia vrgerentur, & quanti reipu. Chriſtianæ intereſſet, bellum illic non trahi. quod vt auferretur, et hoſtes in ſuis finibus bellum ſuſtinere cogerentur, rem in celeritate poſitam eſſe perſpiciebat. Sed quia tantum apparatũ expoſcit Turcarũ amplitudo, vt eum non poſſet Cæſar citius quàm ineunte æſtate vniuerſum comparare, interim dum ei rei dat operam, Africanum bellum ſuſcipiendum ſibi eſſe putauit, vt Hiſpanos Afrorũ metu liberaret, quo facilius ad Turchicã expeditionem incitaren

tarentur. Solebant enim quum ab eis ad eam rem nu
mi exigerentur, vicinum hoſtẽ opponere, ſuum'q; me-
tum excuſare. Quibus rationibus permotus Põtifex,
vehementer Cæſaris conſilium probauit: eiuſq; lauda
ta animi magnitudine, eum dimittit. His ita cõſtitutis
rebus, Cæſar naues onerarias, Baleares inſulas petere
iubet, ac eo loco aduentum ſuum operiri: ipſe verò na-
uibus lõgis ſex & triginta ex portu Veneris ſoluit, et
ad Corſicam inſulam contendit. Qui quum ſecundo
vento in altum prouectus eſſet, ſubita coorta tempe-
ſtate, claſſis curſum tenere non potuit, ſed in diuerſas
partes diſiecta eſt: at ille remis cõtendit, quem ſeptem
aliæ ſecutæ naues eam inſulæ partem ceperunt, quę Ita
liam ſpectat: vbi eum venti duos dies tenuerunt. Seda
to mari, quæ aberrauerant naues à curſu reuertuntur.
quibus appulſis Cæſar in Bonifacium oppidum pro-
fectus eſt: quòd in monte tribus ex partibus, circunci-
ſo, aſpero & difficili eſt ſitum: ad aliam partem eſt adi
tus, ab imo anfractu, qui oppido pro foſſa poſitus eſt.
Hoc autem nulla re alia eſt q̃ portu memorabile. Cæ
ſar idoneam tempeſtatem nactus, in Largheram no-
bilem Sardiniæ vrbem ſecundis ventis appulit. Vbi
res inſolita contigit. Qua enim nocte eò acceſſimus,
bos vitulum bicipitem peperit: quem mulier, cuius
bos erat videndum Cæſari obtulit. Hæc vrbs natura
et opere bene ſatis munita eſt. omnibus enim ferè par
tibus alluitur mari minimè portuoſo, & ſcopulis ſub-
ter aquam latentibus referto, aliam partem, quæ in in-
ſulam mittit, claudit murus: quem duæ turres ad vtrũ-
que latus poſitæ, ab externa vi facile tutantur. et quum
in planitie hæc poſita ſit, nullus omnino mons, aut col-
lis prominet, è quibus vis in eam inferri poſſit. Cæſar
duos dies illic commoratus, ſoluit, & ad Baleares in-
ſulas direxit iter: qui biduò velificatione cõtinuata, le-
ni vento in conſpectũ minoris inſulæ delatus eſt. ſed
quum ei inſulæ iã appropinquaret, aduerſis & reflan-
tibus ventis, parum abfuit, quin in cõtrariam partem
reiiceretur: remorũ tamen tanta contentione naues im

pulſæ ſunt, vt tandem multa nocte ad terram promo-tæ ſint. In quo ita ſudatum eſt, vt ſeptē horis, non inter-miſſo remigandi labore, vix totidem milia proceſſeri-mus. Reliqua noctis parte quieti data, diem in ancho-ris expectauimus: quo tempore, quū paruo ſpatio ab eo quò appulſi eramus loco, Mahon portus abeſſet, eò profecti ſumus. Hic portus, omnium quos videre memini, eſt pulcherrimus, & optimus niſi hanc diffi-cultatem haberet: Tota inſulæ ora maritima monti-bus ingentibus ſepta eſt, ſed quà eſt ad portum aditus, radices montium in planitiem extrahūtur, donec tam anguſto interuallo ad alteram litoris partē acceſſerint, vt non niſi leni vento intromittantur naues: cæterum rebus aliis omnibus eſt facilis & oportunus. excurrit enim in quatuor ferè milium longitudinem, variis & frequentibus inſinuationibus, quæ facilè naues à ma-ris ſæuitia tegūnt. Huic perpetui montes prominent è quibus immēſa ligni copia peti poteſt. Ad extremam eius partē in montiū altitudine vrbs extructa eſt, quæ ſi opere tam eſſet munita quàm natura, non ita facilè ab Ænobarbo, qui vulgo Barbaroſſa nuncupatur, ex-pilata fuiſſet. Quum duos dies tempeſtas claſſem deti-nuiſſet, ſummam tranquillitatem adepti, ad maiorem inſulam curſum intendimus. Quò aduectus Cæſar, comperit ab Italia naues onerarias centum & quin-quaginta conueniſſe, et Ferrandum Gonzagam Pro-regem Siciliæ ſeptem triremibus adueniſſe: quæ cum his, quas ſecū Cęſar adduxerat, cōiunctæ, quinquagin-ta numerū expleuerunt. Præter has ab Hiſpania quin-decim longæ, & magnus nauium onerariarum nume-rus deſiderabātur: quas quum triduò expectaſſemus, nunciauit triremis vna, reliquas iam Africam attigiſ-ſe, & naues onerarias eòdem contendere. Quo allato nuncio, Cæſar protinus milites naues conſcendere, & claſſem ſe in viam dare iuſſit. Maior inſula eſt, et vrbs nobilis: inſula contra minoris inſulæ naturam, habet oram maritimam, planam & fertilem, montes verò in mediterraneis regionibus altiſſimos, & magna par

te ſte

te ſteriles: quæ quoniã meridiem propius quàm Hiſpania ſpectat, hyeme temperatior eſt, & frigoribus remiſſioribus, omniumq́ fere fructuum copiam habet,quibus abundat Africa: Vrbs autem eſt ampla,et pulchris ædificiis ornata,quam fere mediam influit riuulus,è montibus decurrens, qui ad lanificium plurimùm valet.Huius incolæ Terraconenſium parent legibus, & lingua ac moribus valde cum eis conueniunt.Ad ædificandum vtuntur maximè terra calculis permixtis:qua materia muri oppidi effecti ſunt. Tapie vulgo nominantur. Nauibus ad nauigandum rebus omnibus inſtructis, Cæſar ad Argieram vrbem Africæ maritimam iter direxit:quò bidui nauigatione prouectus,comperit triremes,vti acceperat,aduentum ſuum anteuertiſſe,atque terram ab eo latere tenuiſſe,quod ad ſolem occidentem pertinet, decẽ ferè millibus procul ab vrbe,quę vbi claſſem noſtrã cõſpexere,nobis obuiã proceſſerũt, ſed eis continuo eò vnde fuerãt egreſſæ,remiſſis ad eam litoris partẽ ſeruandã: Cæſar aliquot millia progreſſus, in aliam vrbis partẽ duodecim naues præmiſit exploratum, an illic tutior eſſet à tempeſtate receptus. Quibus opportuniorem eſſe ſignificantibus, vrbem remis prætervectus,eò contendit, & iactis anchoris naues onerarias præſolatus eſt. Ab eo loco vrbs tota ſub aſpectum noſtrum cadebat, ſeq́; regio latè noſtris oculis oſtendebat. Poſtridie mari paulatim intumeſcente, ſoluimus, atque locum cepimus, quẽ venti minus vrgerẽt. Eum Matafuz nominãt. Dum eò properatur,naues ſpeculatoriæ duæ Turcicæ in nos incidunt imprudentes,quæ errore cognito,conuerſa velificatione, maxima remorum contentione in altũ ſe referunt:Eas noſtri perſequuti,altera vnius ex nauibus noſtris cõcurſu depreſſa eſt,altera ad terram euaſit. Cognitum eſt ex captiuis eas miſſas fuiſſe,vt de aduentu & apparatu noſtro aliquid percunctando intelligerent. Reliquam diei partem ad anchoras expectãdo triuimus,dũ vniuerſę naues coẽunt,& quieſcit mare. Interea Ferrando Gon-

 gazæ

gazæ & Iacobo Boſſo viris prudentibus & rei mili-
taris peritis præſcripſit Cæſar, vt conſcenſa nauicula
piſcatoria litus præterlegentes percurrerent, ac renun-
tiarent, quà optimus eſſet egreſſus, ac commodiſſimè
exercitus exponi poſſet. Ii exploratis locis omnibus,
quid perſpexiſſent reuerſi indicarunt. Sequens dies
maximam tranquillitatem attulit: qua Cæſar propius
vrbem acceſſit, atq; in locum omnium oportuniſſi-
mum milites expoſuit: idq; nullis hoſtibus reſiſtenti-
bus effecit. Summa autē exercitus hæc erat. Peditatus
omnis numerum duorum & viginti millium exple-
bat, è quibus Hiſpanorū ſeptem millia è Sicilia atque
Neapoli aduenerāt: Germanorū ſex millia in Germa
nia Cæſar cōſcripſerat: Itali qui omni ex Italia coacti
fuerūt, pari numero Germanos ęquabāt, prꝗterea vo
luntarij, qui honoris cauſa Cæſarē ſequuti erāt, trium
millium numerū excedere dicebantur, præter Cæſa-
ris domeſticos. huc accedebāt quadringēti promiſcui
generis milites, quos Equites Rhodij promiſcui itē
generis numero centum & triginta Melita ſuis naui-
bus aduexerāt. Equitū vero Cæſareorum. cccc. naues
Neapoli conſcenderāt, & ab Hiſpania ſeptingēti euo-
cati. Vbi primùm terram pedites attigerunt (equites
enim pauci eo die nauibus emiſſi ſunt) generatim ſum
ma coëunt alacritate, ſeſeq; expediunt ad excipiendos
hoſtes, qui crebris incurſionibus copias noſtras ade-
quitabāt. Hos, ſi ſe aggregarēt, et propiùs admouerēt,
bombardis noſtri repellebant, ita vt rari diſperſiq; in-
currere cogerentur. Qua ratione nullū incommodum
accepimus. Hoſtibus in proximos montes reiectis ad
vrbem iter facit exercitus, & Hiſpanis, quos Ferran-
dus Gonzaga ducebat in acie prima cōſtitutis, Cęſar
mediam aciem, quā Germanis crediderat, dirigebat:
Italos autem, quibus immixti erant Equites Rhodij,
præibat Camillus Columna. Eo die circiter mille paſ
ſus progreſſi conſtitimus, atque ibi noctem penè in-
ſomnem tranſegimus. Numidæ enim, qui montium
iuga tenebant, ſe in planitiem demittebant, atque telis

camo

Cæſaris exercitus

ea maxime parte,qua Cæſar tentoria poſuerat,nos ſu‑ ceſſebant.in quos ſigna Hiſpanorum tria à Cæſare im miſſa ſunt,qui illos reprimerent,aut audacius progre dientes tardarēt. Hi,noſtris impreſſionem facientibus ſe in montes referebant, & ſyluestribus locis occulta‑ bant,atque noſtros aſcenſu prohibebant: virtute ta‑ men tantum noſtri potuêre,vt in montes euaſerint,ho ſtesq́ loco pepulerint, ſed creſcente hoſtium multitu‑ dine,noſtri ſpatio pugnæ defatigati, recentes & inte‑ gros non facilè ſuſtinebant.Itaq; quum à prima vigi‑ lia vſque ad primam lucē pugnam protraxiſſent, eis puluere,quo ſphęrulas plombeas in hoſtes emittebāt, deficiente,paucis acceptis vulneribus,ad agmē ſe rece perūt. Tota regio,qua viā fecimus,plana eſt,ſed impe dita, & dumis atq; herbis ſylueſtribus conſita. hanc ſubluit mare ab eo promontorio, quò ſæuiente vēto naues noſtras prouectas fuiſſe diximus, donec vrbi mille fere paſſus appropinquauerit: quo loco ſaxa & cumuli,mari oppoſiti,planitiem interrumpunt: vrbs duodecim ferè media ducta linea milibus abeſt à pro montorio:ſin autē pedibus eatur, propter litoris obli‑ quitatem,viginti millia erunt facienda. Planitiem ra‑ dices montium impendentium efficiunt, & quemad‑ modùm ora maritima ſinuoſa eſt, ita planitiei vidētur montes impoſiti fuiſſe, litoriſq́ naturam ſequi. Nam vbi litoris ſinuatio mollius inflectitur,& diffunditur latius,maiori etiam interuallo à litore montes inter‑ mittuntur,& effuſior planities intercedit: vbi verò ſi‑ nus definit,et velut angulo terminatur,litusq́ iam nō ſinuoſe,ſed magis directò procedit,eodem quoq; lo‑ co è planitie colles & tumuli enaſcuntur,qui monti‑ bus coniuncti,eam confundūt. quē locū mille paſſus abeſſe ab vrbe demonſtrauimus. Cæſar reductis ex monte militibus,propius vrbem mouit exercitū, cui ſuperata planitie, erant colles & tumuli,in quos mon‑ tes deſinere ſignificauimus,ſubeundi,ac deinde ad mō tes tentandum iter. Nam conſtabat iuga montium in maximam longitudinē à latere exercitus protēdi:qui

bus à tergo hoſtes relicti, rurſus aduerſus nos prouo-
labant, agmenque morabantur. Illi ſi in contentione du
rius quicquam accidiſſet, quoniã ad montes facilem
receptum habebant, noſtros ſine ſuo magno periculo
premebãt: hos montes ſi noſtri tenerent, perfacile erat
hoſtes tranſitu intercludere, & liberius, minoreque peri
culo in oppugnationẽ incũbere. Qua de re peropor-
tunum eſt viſum, Numidas è montibus depellere, ac
ibi primam aciem collocare. Quę tametſi res erat ma-
gnæ operæ, & laboris propter montium altitudinem
& aſperitatem, virtute tamen tantum Hiſpani præſti-
terunt, Ferrando Gonzaga Duce, vt expulſis hoſti-
bus in montium faſtigium euaſerint. Occupatis mon-
tibus, ſecunda acies conſedit in collibus, quos monti-
bus ſubeſſe diximus, & paulò infrà ſecundũ litus aci-
es tertia conſtituta eſt. Exercitu in hunc modum diſ-
poſito, vrbs eũ velut angulus reſpiciebat. quę ab vno
latere mari concluſa, ab aliis duobus obducto exerci-
tu trianguli ſpeciem effecerat: quumque pene exercitu
circunuallata eſſet, non magnam in externis copiis
ſpem habebat. Quæ quanuis à tergo noſtras acies è
planitie adoriri potuiſſent; tamẽ quia loco ſuperiores
eramus, facilè venientibus reſtitiſſemus. Ad hanc no-
ſtram commoditatẽ accedebat, quòd inter planitiem
& tumulos, quos Cæſar caſtris delegerat, crebri an-
fractus intercedebant, qui pro foſſa hoſtibus obiecti,
eorum impetum tardare potuiſſent. Ita compulſis in
vrbem hoſtibus, & rebus omnibus, quæ humano in-
genio prouideri poſſunt, à Cæſare procuratis, inclina-
ta in noctem die, vigiliis diſpoſitis, ſe lætitię dabat ex-
ercitus, quũ repẽtina calamitas incidit, quæ vitari om
nino non potuit. Imbrium enim vis vehementiſſima,
prima vigilia coorta, nullam noctis horam intermiſ-
ſa eſt: quæ quanuis iniquitate ſua moleſta ſatis eſſet, eã
tamen longe moleſtiorem par ventorum vis reddide
rat. Nã militibus qui ſine impedimẽtis è nauibus edu
cti fuerãt, nec amictus erat vllus, quo pluuię iniuriam
à ſe propulſarent: nec tentoria, quò profugere poſſent.

Imbriũ vis

Hinc factum eſt, quum ipſi imbribus toti maderent, ac ventis exagitarentur, vt vires eos atq; animi deficerent. Eodem tempore ſupra quã cuiquam credibile ſit, intumuerat mare, ac ita efferbuerat, vt multæ naues, quæ ſæuitiã ferre non poterant, fractis funibus anchorarũq; ad terrã allideret: aliæ vero fluctibus completæ deprimerẽtur. quarum naufragio magna hominũ, cibariorumq; iactura facta eſt. Quam calamitatẽ magno auxit cumulo diei interuentus. Tum enim venti atq; imbres in tantam rabiem creuerant, vt vix quiſquam pedibus conſiſteret. Hanc impugnãdi noſtri occaſionem hoſtes prætermittendam nõ putarunt. Tum enim magno numero ac ſummo ſilẽtio egreſſi, aduentu ſuo noſtras vigilias oppreſſere: quibus interfectis ad munitiones noſtras prouolãt, noſq; telis laceſſunt. Nos omnibus rebus ſubitò perterriti, imbribus & ventis aduerſum os ferientibus, arma tamen expedimus: & vt quiſq; primum occurrerat, ita quàm maximo potuit impetu in hoſtes contendit. Hoſtes autẽ ad primum noſtrum impetum pedem retulerunt, vt nos elicerent in inſidias, quas idoneo loco diſpoſuerant: in quas eos perſequuti incurrimus. Eramus autẽ numero ſuperiores, & virtute pares: ſed ipſi & loco & armorum genere longè præſtabãt. Ii enim de loco ſuperiore pugnabant, et baliſtis, arcubus, lapidibus, ac omni telorũ genere nos aſcenſu prohibebant: nobis vero imbres ſclopœtarũ vſum ademerant, nullumq; omnino telum reliquũ fecerant, quo hoſtem impeteremus: vt haſtilibus, & ipſo penè corporũ cõcurſu, nobis gerenda res eſſet. quum interim & iniquitas loci ab ea re nos inimicorumq; velocitas retardaret, qui nobis procurrentibus cedebant, & eminus tela & lapides conijciebant. Genus hoc pugnæ noſtris erat inſuetũ. nam hoſtium in vniuerſum ita fert conſuetudo, vt nunquã conferti manus nobiſcum conferant, & ſummis copijs prælientur: ſed rari nos equis prætercurrentes, telis & ſagittis laceſſunt, vt nos ab ordinibus eliciant. Qui, vbi ex ordinibus exceſſerimus, & impetum fecerimus,

mare intumuit, &c.

Inſidiis

cerimus, conſultò cedunt, atque ſe fugæ mandant. q ſi ſtudioſius nos inſequentes, ab ordinibus longius progreſſi fuerimus, illi conuerſo curſu, plures paucos circunſiſtunt ac interficiunt. Eo die equites vrbe egreſſi, totidem ferè numero pedites delegerant: qui inter eos tanta velocitate verſabâtur, vt equorum curſum adæquarent. Hoc genere pugnæ noſtri eluſi ſunt, qui in fugam cōpulſos hoſtes arbitrati, eos temerè incertis ordinibus inſequuti, non prius ſequendi finem fecerunt, quàm ſub muros & portas oppidi ſucceſſerint: quo tempore hoſtes q̄ primum in vrbem ſe receperunt, & bombardis, telis, ſagittis, ac omni tormentorum genere vno impetu emiſſis, noſtrorū magnam ſtragem ediderunt, atq; ex Italis eos dederūt in fugam, quibus nō magnus eſſet vſus militię. Quorū fuga Rhodij Equites ſoli ad portas ciuitatis reſtiterunt, aliquot Italis viris fortibus adiunctis, quos virtus à turpi fuga dehortabatur, ſocijsq; fugientibus, ſe ad ſignum noſtrū conuerterant. Nos id quod accidit poſtea, euenire poſſe ſuſpicati, vt hoſtes noſtrorum fugam cōſpicati, in eos irruptionem facerent, in anguſtum intra colles & tumulos locum, vbi pauci multos morari poſſent, ſignū noſtrum retulimus. Loci autem natura hæc erat: Tota circum oppidum regio tumulis frequentibus referta eſt, intra quos via poſita, obliquis orbibus (vt tumulorum fert ſitus) ducit ad vrbem. quæ vbi tumuli coëunt, patet anguſtius: vbi vero latiori ſpatio ſe retrahunt, illic etiam via latius intenditur. Non fefellit nos ſuſpitio. non enim prius in anguſtias peruenimus, quàm hoſtes ex oppido eruperunt, ac effuſo curſu in nos impetum fecerunt: quumq; ſe propius intuliſſent, more ſuo retrocedebant, vt ab anguſto nos loco in patentiorem allicerent, ac circunuentos occiderent. Vt autem ſe nihil proficere viderūt, in colles & tumulos, qui nobis prominebant, pedites immiſerunt: vt inde lapides & tela iacularentur. Quę qui ex noſtris, armis tecti non eſſent, vitare non poterant: vnde accidit, vt plures pugna excederēt, et numero plurimum minueremur,

remur. Quum tamen nihil quod nobis indignum eſſet cōmitteremus, hoſtes indignati tam paruā manū, tantas ſuas copias diſtinere: cominus rem gerere conſtituunt: & protinus equis incitatis nos haſtilibus aggrediuntur, ad quę vitanda plurimum arma noſtra valuere. Quum vero videremus ſalutis noſtræ ſubſidiū in virtute poſitum eſſe, potius eſſe duximus, virtutis noſtræ dimicando memoriam relinquere, & ſi moriendum eſſet, damnū aliquod hoſtibus inferre, quām turpiter in fugam verſos ab illis concidi. Hoc noſtrū inſtitutum adiuuabat, ꝙ breui nobis Cæſarem affore ſubſidio ſperabamus. qua ſpe erecti, & hoſtes irruentes haſtilibus ſuſtinebamus: & quum ſe nobis inſinuarent, non dato regrediendi ſpatio, confodiebamus: cui iniuriæ eo erant oportuniores, quòd nudi in prælio verſarentur. Qua re animaduerſa, tanto illi ſpatio pedem retulerunt, quantū haſtilia noſtra paterent in longitudinē: quo ex loco tela & haſtas, qua parte corpus noſtrum apertum erat, injiciebant, & baliſtis, quibus arma transfodi poſſe putabāt, nos appetebant. ea quū à confertis vitari non potuiſſent, & virtuti locus relictus non eſſet, aliquot eorum, qui in primo ordine pugnabant, grauiter vulneratis, ordines noſtros perturbarunt, ac loco ſummouerunt. Quo temporis momento Cæſar cum omnibus Germanorum copijs nobis adfuit ſubſidio. quem hoſtes conſpicati, parumper conſtiterunt, ac nobis colligendi noſtri poteſtatem fecerunt. Cæſar quo loco maiore interuallo tumulos intermitti demonſtrauimus, agmen conſtituerat, quod quantum eſſet, hoſtes dijudicare non poterant ob itineris anguſtias, quæ inter eos & agmen erāt interpoſitæ. Quamobrem cognoſcendi cauſſa, ſe propius incitarūt. at quū viderent profici nihil poſſe, veriti ne ſi nobiſcum prælio contenderent, & ſibi neceſſario in oppidum refugiendum eſſet, noſtri vnà immixti introirent, oportuno tempore ſe receperunt, ac in agmen bombardas emiſerunt. Ibi Cæſar non ita longè abfuit à periculo. ipſe enim, quum in primis ordinibus milites adhorta-

retur,

retur, bombardæ, aliquot eorum quibus cum verba faciebat, extulerunt: ita tamen vt ipſe neq; vllam timoris ſignificationem ediderit, neq; orationem ſuam interruperit, neque vultum mutauerit: ſed ea fortitudine & animi præſentia ſubſtiterit, qua in maxima tranquillitate eſſe ſolet. His geſtis rebus, quũ id quod volebat Cæſar eſſet cõſequutus, vt nos laborãtes periculo eximeret: compulſis in oppidũ hoſtibus, paucis Germanorum deſideratis, in caſtra ſuos reduxit. Ex Equitibus vero Rhodijs, qui vix centũ numerũ implebant, ad muros vrbis octo bombardis extincti ſunt: ex conflictu autem ſaucij triginta euaſerũt. ex Italis qui ſe nobis aggregauerant, mortuorũ numerum nõ teneo, neque quot ex pugna vulnerati ſint elapſi. Nam quũ grauiſſimè ſaucius ereptus eſſem, & vehementer ex vulneribus laborarem, adire potui neminem, qui vulneratorum aut mortuorum mihi numerum explicaret. Interea dum venti, hoſtes, et pluuia terra nos duriter exagitant, mari naues longè durius affligantur. ita enim vis ventorum mare commouerat, vt quum naues incuteret, neq; anchoræ neq; funes obſtarent, quominus in terram eijcerentur, quoniam ſi quæ funium multitudine retinerentur, tanto impetu concutiebãtur, vt ſtupis quibus tabularum rimæ & commiſſuræ impleri ſolent, euulſis, aqua complerentur & obruerentur. Rem in tantam infelicitatem proclinatam adaugebant Numidæ: qui viſo naufragio, ad litus magno numero conuenerãt, vt quos fortuna in terram exportaret, eos tranſfoderent. adeò vtrum in terrã elabi, an ſubmergi præſtaret, neſciretur. His rebus permotus Cæſar, ad duo millia Hiſpanorum immiſit, qui repulſis hoſtibus, noſtris eſſent præſidio: quorum aduentus quàm plurimis ſalutem attulit. ſed hoc conſilium, quanuis reprehendi nõ poſſit, euenit incommodè. Nam cùm nautæ tutos ſe eſſe cognoſcerent, ſi ad terram applicarent, minori contentione vim tempeſtatis ferebant, & procliuius in terram nauem impingebant: ex quo naufragium effectum eſt inſignius. Hac tempeſtate centum & triginta

naues

naues deſideratæ ſunt: è quibus triremes quatuordecim, longo maris cōflictu collabefactæ, in terram eiectæ ſunt. Quem caſum tanta animorum conſternatione & deſperatione excepit exercitus, vt nulla vnquam maior extiterit. quum enim milites in terram fuerunt expoſiti, quo eſſent ad viam expeditiores, ſine impedimentis emiſſi fuerant, & duorum tantum dierum cibaria ſecum tulerāt, eaq; ſuperioribus diebus cōſumpſerant. Vnde magna nauium parte amiſſa verebantur, ne ſi reliquæ quoq; naufragium facerent, tum eſſet mors oppetenda, q nullas haberent naues alias quibus reportari poſſent: nullaq; res adeſſet, qua inediam tolerarent, quáue ſe ab imbribus defenderent, quū etiam deeſſent tormenta & machinæ, quę vſui eſſent obſidendæ vrbi, nec aliunde cōmeatus peti poſſet: de vrbis expugnatione deſperabant. Hæc perturbatio totū illum diem et ſequentē noctē tenuit exercitū. Triduò poſt mare paulum de ſæuitia remiſit, ſed quū adhuc remis arari non poſſet ad cōmeatū ex nauibus importandum, Cæſar equis, quos nauibus eduxerat, interfectis, tribus diebus milites refecit. Quę calamitas eo incōmodius obtigit, q vnà cum nauibus magna copia frumēti, farinæ, panis biſcocti, leguminū, vini, olei, carniumq; ſale conditarū, ac rerū omniū ad victum exercitus ſpectantium amiſſa eſt: equorū item magnus numerus interijt: quò acceſſere omnium generū tormenta, quæ ad nauium tutelam, & alia quę ad vrbium oppugnationem comparata fuerant, quorum magnam partem hoſtes tranquillitatē nacti, piſcari et extrahere poterunt. Deniq; tanta rei frumentariæ iactura facta eſt, vt anguſtè ſuperfuerit ad milites reportandos. Tot incommodis acceptis, Cæſar vrbis oppugnationē in æſtatem reijcere inſtituit, & milites reducere. Itaque iuſſit eam litoris partem petere, qua naues commodè conſcēdi poſſent. Hoc vero fuit omnium miſerrimū, quòd milites inedia atque imbribus, quibus triduo perpetuo maduerant, tam fracti & exhauſti fuerant viribus, vt plerique eorum, quum viam ingrederentur,

tur, exanimati collaberentur: & terra vſq; eò erat cœnoſa, vt nec in eam recumbi, nec cõmodè incedi poſſet. vt ſi vellent milites quieſcere, haſtilis altè in terram defixo niterentur, ac eo modo ſe quieti darent. Tot tamen tantasq; difficultates ſingulari animi magnitudine præſentiaq; vicerunt milites noſtri ac tribus fluminibus vado trãſmiſſis, etſi interim ſolis humeris aqua extarent, totidem diebus iter confecerunt. Eò profecti, vnde naues conſcẽdi oporteret, dum Itali & Germani imponuntur, Cæſar Hiſpanos, de quibus maximam virtutis habebat opinionem, contra hoſtes in armis eſſe iuſſit: & operam dedit, vt quàm poſſet fieri celerrimè, illi ad naues deferrentur: ne ſi mare intumeſceret, impediretur ſcapharum nauigatio. quarum quoniam magnum numerum tempeſtas abſorbuerat, tranſportatio militum tardius proceſſit: nec citius quàm bidui ſpatio naues inſtrui, ac militibus compleri potuerunt. Triduò poſt quum dimidiam ferè Hiſpanorum partẽ naues accepiſſent, ventis paulatim creſcentibus, inflato mari ægerrimè reliqua pars ad naues transferri potuit. quod præſentientes nautæ, vt quæq; primum nauis onuſta fuit, ita prima curſum cepit. Vnde ſalus eorum ſecuta eſt, qui primum naues conſcenderant: quæ antequam egredi tempeſtate prohiberentur, ſoluerant, ac vela expanderant: reliquas vero, quæ tardius onus acceperant, tempeſtas morata eſt. vt vna Rhodiarum nauium fractis funibus anchorarijs, parum abfuerit quin in ſcopulos torqueretur: ſed tantum remis contenderunt remiges, vt eam in altum paulum promouerint. quæ vt ex ſcopulis erepta eſt, nautæ & gubernatores ſatius eſſe iudicarunt, ſe mari cõmittere, ꝗ̃ fluctibus fruſtra reluctari. Hanc tres aliæ ſecutæ, in Bugiam, eò ventis aſpirantibus euaſerunt: quod non niſi magno labore & periculo effectũ eſt. Vna enim nauis amiſſo temone, fluctibus ferè obruta eſt. Cæſar autem expectabat, vt remiſſo ventorum impetu, in altum naues remulco attraheret, ac demum curſum teneret. Quod vbi aliquãdiu fruſtra tentaſſet,

veritus ne ingraueſcente tempeſtate tandem ad ſcopu los adigeretur, quatuor triremibus, quæ omniũ tutiſſimum locum ceperãt, cæteris nauibus auxilio relictis, ſoluit, ac naues Rhodias ſequutus eſt. Poſtridie quàm Bugiam appulit triremes ad Argieram cæteris nauibus ſubſidio relictæ nuntiarunt eas, quum tempeſtatẽ ferre non poſſent, fractas fuiſſe, & ad litus proiectas: militum magnum numerum fluctibus demerſum, reliquos in terram eiectos in orbem pugnãdi gratia coiuiſſe, ac deſperatione debilitatos in deditione ſpem vitæ collocaſſe: eos deniq; ad vrbem properantes à Numidis ad vnum omnes interfectos fuiſſe. Hunc exitũ habuit bellum Africanum. Tempus & laborum diuturnitas nos Bugiam appulſos ad quietem vocabant: ſed locus id minimè patiebatur. Portus enim Bugiæ quum nullum terrę habeat obiectum, ad coërcendam vim ventorum ab Europa ſpirantiũ, noſtris nauibus ſtationẽ infidam præbuit. Mare enim ventis incitatũ tanta vi naues quatiebat, vt non multò minore periculo q̃ ad Argieram ſubſtiterint. Bona fors eò nauẽ vnã inuexerat, frumento reliquoq; cõmeatu onuſtam: ſed eadẽ excepta tempeſtatibus, in cõſpectu noſtro paulò poſt depreſſa eſt. Quæ tempeſtates, quanuis nulla nos alia inſigniori affecerint calamitate, non ab re tamen mihi viſum eſt narrare, quam nobis metus occaſionẽ dederint. Vbi plures dies intolerantius mare nos ſolicitaſſet, nocte ineunte, maiore erupit iracundia: et quo altius nocte tegeretur, eo ſe magis exaſperabat, donec in tantam creuiſſet inſaniam, vt nos multas horas omni ſpe reconciliationis deſtituerit. quod tandem adueniente die, quum iam omne ferè virus euomuiſſet, ſuæ incontinentiæ puduit, atq; erubuit ſe tam fœdo vultu ſoli inſpiciendum ingerere. tanta tamen eius fuit inciuilitas, vt etſi ſcirem me gratum ei minimè facturum, eam non reticerẽ. Principem triremiũ Sicularũ tantà vi in latus impulit, vt malum et antennas extrà nauim deiecerit, Aliã pręterea ex nauibus Siculis tanta animi

offenſione afflictauit, vt ipſam ingrediēs nauem remi ge vno apprehēſo, ei tibia quæ catena reuincta fuerat, euulſa ex corpore, trūcum extra nauim emiſerit, Rhodijs nauibus non minus fuit iniurium, nam erepta ab vna naui ſcapha, dum eam prçter nauim vicinam inue heret, tam altè extulit, vt nullo ferè labore in ſummam triremem inciderit: ac ipſo caſu ſcāno fracto, remiges duos eliſerit. Denique vt in omnes qui ad Argieram integri relicti erant, ſuam ſæuitiam experiretur, Comitē Anguilarium ab iniuria noluit immunem eſſe, atque ita ei fuit infeſtum, vt interim à Sanctis non abſtinuerit. Tanto enim furore in puppim inuolauit, vt & ipſam puppim euerterit, & ſanctum Andream qui puppi in ſignum erat appoſitus, præcipitem egerit. A cæteris quos ad Argierā vltus erat, manus continuit. Vna res tum nobis ſalutē attulit, quæ aliàs exitio eſſe ſolet. Quo loco oceanus in mediterraneas regiones influit, Africam ab Europa valde anguſto interuallo diuidit: quibus coactus anguſtijs, rapidius fertur, donec locum patētiorem nactus ſit, quo ſe liberius effundat. & quo tempore æſtum patitur, quod bis in die contingit: quantòue propius anguſtias accurrit, eo maior eſt nauigantibus iucunda rapiditas, ex quo occidentales regiones æſtus iniuriæ magis patēt. Prçterea quo propius ad lunam plenam acceditur, eo magis redundat Oceanus, & fiunt çſtus eius maiores, inque mare noſtrū introit incitatior: qui luna decreſcente ſimiliter decreſcunt, vnde ventorum tempeſtatumque cōmutationes proueniunt. Hæc ergo rapiditas, flue vt nautæ dicunt, aqua currens, æſtu maris incitata, excurrit quouſque terrarum obiectu retorqueatur. quòd fere vſu venit, quum Oceanus commutationem æſtus patitur, & ab Europa in contrariam partem recedit. Itaque cum Bugiæ eſſemus, vt dixi, erat mare turbulentiſſimū, tantáque leuitate ferebatur, quanta vis ventorū impelleret. Sed quoniā luna tū plena eſſet, & propterea æſtus Oceani maiores, currens aqua velocius incurrebat: cuiuis

uis ventorum coniuncta, magnam rapiditatem addi-
derat, ob eamq; cauſam, mare quantumuis cõmotum
longo ſpatio antecurrebat, atq; ad terram citius perue-
niebat. itaq; quanto maiore impetu delata eſſet, eo ma
iore vi reflectebatur: atq; in mare conuerſa, eius repri-
mebat et tardabat impetum, ita vt minore vi mare na
ues incuteret. quod niſi ita eueniſſet, nauiũ firmiſſima
queq; ſex horas fluctus maris ſuſtinere nequiſſet. Poſt
eã tempeſtatẽ nobiſcũ mare mitius egit, quũ ſe tamen
innauigabile præberet, nos inediæ conficiendos tradi-
derat, à quo periculo non procul abfuimus. Bugia enĩ
quanuis enim noſtra eſſet, ea tamen eſt natura loci, vt
exiguè nos iuuare poſſet. Eſt enim oppidum ſitum in
montium altiſſimorum decliuitate, cuius fines tam la-
tè patent, quantum in circuitu ipſum oppidum occu-
pat ſoli. Nam Mauri quibuſcũ noſtri continenter bel-
lum gerunt, imperant toti finitimæ regioni: proinde
quicquid noſtris frumenti eſt, ab Hiſpania importatũ
habent. In illius oppidi propugnaculum tres turres
inſtitutæ ſunt: quas vnà cum oppido ducẽti milites cu
ſtodiũt. Ad eos iam multo tempore naues ab Hiſpa-
nia non venerant: tantaq; multitudine vno tẽpore eò
confluximus, vt noſtri iuuandi nõ magnã habuerint
facultatem. His in anguſtijs Cæſar conſtitutus, trium
dierum ſupplicatione decreta, triduò pòſt expiatis cõ-
feſſione peccatis, panem ſacrum religioſè edit, quẽ om
nes aulici imitati, iram dei deprecati ſunt. Seneſcente
luna venti rabie ſua ceciderunt, & mare paulo placidi
us effectum eſt: quo tempore, ne hanc diſcedendi obla
tam occaſionẽ è manibus amitteremus, Dux Equitũ
Rhodiorũ Imperatorem adijt, atq; abeundi commea-
tum petijt: quo impetrato, proficiſcente etiam Ferran-
do Gonzaga, vnà ex eo loco ſoluimus, & iter Tune-
tum verſus tenuimus, quò quatriduo remis perueni-
mus. Cæſar verò, quum Andreæ Doriæ claſſis præfe
cto non videretur nauigationi tempus eſſe idoneũ, eo
loco cõmodiorem tempeſtatem expectabat. Tuneti

omnibus rebus ab eius vrbis rege refecta claſſe noſtra, nacti tempus oportunum, Drepanum Siciliæ oppidum contendimus: vbi biduò votis D. Mariæ, quæ ab Annunciatione nomen habet, perſoluendis inſumpto, Panormum deuenimus. Quo loco Siculis nauibus relictis, Rhodiæ Meſſanam delatæ ſunt. Vnde quum me ſubiiſſet negotiorum recordatio, quę in meum ab Africa reditum diſtuleram, ad ea me recipere conſtitui, & conſcenſa naui ſpeculatoria Neapolim, ac inde Romã multis tempeſtatibus delatus ſum. Vbi quoniam vulnera difficultate & magnitudine viarũ recruduerant, iter intermittere tantiſper coactus ſum, dum me de via feſſum, & vulneribus afflictatum colligerem. Interim ne omnino eſſem ocioſus, hanc expeditionis Africanæ narrationem exaraui, in qua multorum illuſtrium virorum caſus, & rei familiaris iacturas conſultò prętermiſi, eas enim, quòd immenſę ſint, neq; accurate explicare, neque etiam omnia memoria tenere potuiſſem.

FINIS.

AMPLISSIMO VIRO D.

G. BELLAEO LANGAEO, SVBALPINARVM GENtium Proregi, & primi ordinis Equiti apud Chriſtianiſſimum Francorum Regem, Nicolaus Villagagnon Eques Rhodius Gallus, S. D. P.

SVperioribus meis literis tibi ſignificaui, me properantem ad te, recrudeſcentibus tamē magnitudine ac difficultate itineris vulneribus, retardatū, & Romæ commorari coactum fuiſſe. Nam ingraueſcens in dies morbus ſpem celerioris diſceſſus ademit, atque plures quàm voluiſſem dies remoratus eſt. Interim verò quum tui deſiderium me perpetuò ſolicitaret, & viderem ſpem meæ profectionis paulò tardius procedere, conſtitui itineris mei narrationem exarare, eámque ad te mittere, vt celeritate ſua perficeret id quod morbo pręceditus pręſtare non poteram, tarditatémq; meam excuſaret. Tuus Franciſcus Guicheus, vir omni virtute officióque præditus, me acceptū hoſpitio, ſumma beneuolentia proſecutus eſt, tantúmque ſua effecit diligentia, medicis adhibitis, vt iam melius habere cœperim, ob eámque cauſam me plurimùm ei debere fatear. Ille me conantem viam ingredi retinuit, donec vires collegiſſem, & per valetudinē poſſem itineris moleſtias ac frigoris iniuriam ferre. Quod niſi feciſſet, periculum erat, ne denuò in grauē morbum inciderem. Nam præter dolorem, quo me vulnerum acerbitas afficiebat, corpus meum valde intumuerat, nec multum aberā ab aqua intercute. Nunc ergo depulſo morbo, ad iter me accingam, & dabo operam, vt quàm citiſſimè Taurinos perueniam.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE